



Continetur hoc volumine

§. d. 10

1. Diff. de sapientia et scientia Pauli auct. Knapp.
2. Credo posterior
3. Diff. de Gaudio in fidei & sanguinum genitrix verae religione Christi. Tribus iugis. Huenfie
4. de naturae et gratiae regni pacifici. Baumgarten
5. an et quare voluntas posset cogi. Diff. philolog.
6. de cautionibz quibusdam, quae probationes dogmatum Theologorum ex attributis divinis Petri Schreiber auct. Freylinghausen
7. Theologia Nostriss van Gent und Gijnsf. Tobais.
8. Verum veritatem secundum ratiocinem Pro. gram. Knapp.

VI

J. II, 890.

§. 3

16

III 410 ~~J~~ IV 12

P. Graeff

*d* 5  
DISSERTATIO PHILOSOPHICA,  
QVA INQVIRITVR  
AN, ET QVATENVS  
**VOLVNTAS HOMINIS  
POSSIT COGI?**

QVAM QVE  
CONSENSV INCLYTI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
PRAESIDE  
VIRO PRAECLARISSIMO ET DOCTISSIMO  
**DN. CHRISTIANO WEBERO,**  
PHILOSOPHIAE MAGISTRO  
PRAECEPTORE SVO PIE COLENDO

DIE AVGVSTI MDCCCLI  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT


H. L. Q. C.

RESPONSVRVS

**CHRISTIANVS GODOFREDVS BRETH**  
SCHMIDEBERGENSIS - SILESIUS  
S. S. THEOLOG. AC PHILOS. CVLTOR.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
LITTERIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.





DISSERTATIO PHILOSOPHICA,  
QVA INQVIRITVR  
AN, ET QVATENVS  
**VOLVNTAS HOMINIS  
POSSIT COGI?**

§. I.



In varias abeunt Philosophi sententias, vbi Introducio. ad quaestionem: *an et quatenus voluntas hominis possit cogi?* responsonem suppeditant. Sunt, qui simpliciter negant, voluntatem coactioni lubet esse posse: sunt, qui moraliter eandem cogi posse concedunt, negant coactionem physicam: sunt denique, qui actus voluntatis elicitos atque imperatos a se inuicem distingunt, atque voluntatem quoad posteriores actus, non autem quoad priores cogi posse autumant; indeterminatum

A

tum

tum autem relinquunt, quaenam coactio in actibus imperatis locum inuenire possit; physica, an moralis, an utraque? Ultimae sententiae plurimi subscribunt, quamvis vagam adhuc relinquat mentem, atque instabilem. Sententias has inter se pugnare, quilibet, me non monente, videt: ob id ipsum autem omnes simul verae esse nequeunt, cum veritas una semper sit. Non tamen perinde est, cuinam sententiae quis subscribat, quum erronea tam in doctrina de libertate, quam de moralitate actionum non possit non alias erroneous generare opiniones. Quae quum animo reputarem, superuacaneum laborem suscipere non putau, si veram huius rei sententiam inquirere, eandemque sufficienter demonstrare conarer; ita tamen, ut remotus sim ab omni partium, nouitatis aut contradicendi studio, quorum nullo ego delector.

## §. II.

Quodsi autem adductas sententias pensitamus, disconuenientiam illarum omnem inde venisse censemus, quod propositam quaestionem antea non sufficienter determinauerint illarum auctores. Tam enim subiecto, quam praedicato propositionis subsunt aequiuocationes, quibus sublati feliciter ad metam peruenire poterimus. Euoluemus igitur primo naturam voluntatis: *deinde coactionis*, eiusque specierum. Notionibus euolutis determinate ad quaestionem propositam respondere valebimus. Quum autem voluntas sit species adpetitus; permittas L.B. ut paucia de adpetitu atque auersatione, huic opposita, praemittamus.

## §. III.

Si quid cognosco, vel tanquam perfectum mihi praesento, vel non. Priori casu oritur *adpetitus* in anima:

Adpetitus,  
auersatio et  
indifferentia  
animi quid?

## DE COACTIONE VOLVNTATIS. 5

ma: posteriori vel obiectum tanquam imperfectum mihi repraesento, vel neque ut perfectum, neque ut imperfectum. Illo casu oritur *auersatio*: hoc calu vero *indifferencia animi*, quae vel *plenaria* vel *respectiva* esse potest, prout vel plane nullam perfectionem aut imperfectiōnem, vel saltim determinatam quandam perfectionem aut imperfectionem in obiecto non percipio.

**COR. 1.** Ratio sufficiens adpetitus ergo est cognitio boni: auersationis, cognitio mali: indifferentiae animi vero, utriusque cognitionis defectus. Vid. Per Ill. L. B. de WOLFF Psycholog. Empir. P. II. Sect. I. cap. II. §. 586. 587.

**COR. 2.** Si obiectum tanquam bonum cognoscimus, oritur in anima conatus idem tanquam ad se relatum repraesentandi: si vero tanquam malum cognoscimus, oritur conatus idem remouendi, seu non tanquam ad se relatum repraesentandi (per exper.) Hinc *adpetitus consistit in conatu perfectionem tanquam ad se relatum repraesentandi: auersatio in conatu imperfectionem tanquam non ad se relatum repraesentandi*. Vid. Per Ill. L. B. de WOLFF Psycholog. rationalem Sect. II. Cap. I. §. 515. 516.

**SCHOL. 1.** Definitiones adpetitus, auersationis et indifferencie in § ipsa adductae geneticae sunt. Ostendunt enim modum, quo adpetitus, auersatio et indifferencia in anima oriuntur. Quas vero Cor. 2. deduximus, reales sunt, quia constitutiva adpetitus et auersationis sigillatim enumerant. Circa priores obseruabit L. B; nos formale cognitionis, quae adpetitum vel auersationem antecedit, non determinans: utrum scilicet cognitio boni vel mali obscura sit, an clara: vera, an erronea: intuitiva, an symbolica. Nec inconfusito hoc fecimus. Potest enim adpetitus et auersatio tam ex obscura, quam clara; ex vera vel erronea; ex intuitiva, vel symbolica oriri cognitione. Singula experientia confirmat: vnde ultiore probatione non egerint.

**SCHOL. 2.** Dum anima nostra adū aliquid adpetit vel auersatur, facultate quoque aliquid adpetendi vel auersandi instru-

Eta esse debet; quae igitur ab ipso exercitio distinguenda est.  
 Hac ex ratione quidam per adpetitum facultatem adpetendi  
 vel auersandi intelligunt; exercitum autem harum facultatum  
*adpetitionem et auersationem* dicunt. Vid. VALENT. VELT-  
 HEMII Institut. Metaphysi pag. 993. sq.

## §. IV.

Species ad-  
petitus et  
auersationis  
evoluuntur.

Adpetitus oritur ex cognitione boni; auersatio au-  
 tem ex cognitione mali (§. 3.). Haec cognitio vel ob-  
 scura, vel clara esse potest (§. cit. Schol. i). Priori casu  
 adpetitus et auersatio *instinctus* seu *stimuli naturales* dicun-  
 tur (vid. B. BILFINGERI Dilucidationes philosoph. §.  
 292); posteriori casu cognitio clara est vel distincta vel  
 confusa (per Log.). Si hoc; adpetitus et auersatio *sensi-  
 tivus et sensitivus*: si illud; *rationales* dicuntur.

COR. 1. Ratio sufficiens stimulorum naturalium ergo est obscu-  
 ra cognitio boni vel mali; adpetitus sensitivus; cognitio confusa  
 boni; auersationis sensitivae; cognitio confusa mali; adpeti-  
 tibus rationalis; cognitio distincta boni; auersationis rationalis,  
 cognitio distincta mali.

COR. 2. Posita ratione sufficiente ponendum est rationatum:  
 negata ratione sufficiente, etiam rationatum negandum est.  
 Hinc nulli dantur stimuli naturales absque obscura cognitione  
 boni vel mali: posita autem obscura boni, vel mali cognitione  
 ponuntur stimuli naturales. (per Cor. 1.)

COR. 3. Porro posita cognitione confusa boni vel mali, ponit-  
 tur adpetitus sensitivus vel auersatio sensitivus. Sed absque  
 eiusmodi cognitione praevia non datur adpetitus sensitivus nec  
 auersatio sensitivus (per Cor. 1.)

COR. 4. Eadem ex ratione manifestum est, absque cognitio-  
 ne distincta boni vel mali praevia non dari adpetitum vel auer-  
 sationem rationalem: posita autem distincta boni vel mali co-  
 gnitione ponuntur adpetitus rationalis et auersatio rationalis.

SCHOL. Stimuli naturales quia ex obscura cognitione boni vel  
 mali oriuntur, habent rationem suam sufficientem. Sed quia  
 illius

## DE COACTIONE VOLVNTATIS.

7

illius, quod obscure tantum cognoscimus, nobis non consci-  
sumus (per def.): hinc rationum stimulorum naturalium in ca-  
su dato consci nobis non sumus, licet generatim cognoscere  
queamus, causam illorum adesse debere. Hinc fit, ut inter-  
dum aliquid adpetamus, vel auersemur, quo de rationem  
speciale, vnde adpetitus et auersatio veniant, non cognosci-  
mus. Eiusmodi adpetitus et auersationes igitur *naturales* sum-  
ma cum ratione dicuntur. Sunt hi stimuli omnibus substantiis  
finitis communes; nobis vero specialiores cum generatione cor-  
porum organicorum simul innascuntur. Quo autem modo id  
fit, ut hic inquiramus, scopus noster non permittit. Ad-  
petitum sensituum et auersationem sensituum, quum ex con-  
fusa boni vel mali cognitione orientur, quae etiam animalibus  
brutis competit; brutis etiam tribuere debemus. Rationalis  
autem adpetitus, et auersatio, non nisi spiritibus competere  
possunt: supponunt enim cognitionem distinctam boni vel ma-  
li; haec autem intellectum supponit, qui spiritibus tantum  
competit. Dicuntur hinc facultatis adpetitiuae pars superior;  
sicut adpetitus sensitivus et auersatio sensitiva ad facultatem  
adpetitiuam inferiorem pertinent. Scholastici adpetitum sen-  
situum tam late sumunt, ut etiam ipsam auersationem sensitivam  
sub se contineat. Deinde diuidunt illum in concupisibiliem  
et irascibilem. *Adpetitum concupisibilem* ita sumunt, pro-  
uti nos adpetitum sensituum explicauimus, pro inclinatione  
anima in bonum confuse perceptum. *Adpetitum irascibilem*  
vocant reclinacionem a malo confuse percepto: qui ergo idem  
est cum eo, quod nos auersationem sensitivam diximus. Hinc  
ex mente Scholasticorum adpetitus sensitivus in genere est co-  
natus ex cognitione confusa boni vel mali ortus. Vid. Per II.  
L. B. de WOLFF Psychol. Empir. P. II. Seq. I. cap. II. §. 583. et  
MICRAELIVS in Lexico philosoph.

### § V.

*Adpetitus sensitivus et auersatio sensitiva attentionem ad Requisita ad-*  
*perfectionem vel imperfectionem obiecti requirunt: adpetitus et peritus et*  
*auersatio auersationis.*



*auersatio rationalis vero praeter attentionem adhuc reflexionem super perfectione vel imperfectione obiecti praesupponunt.* Adpetitus sensitivus enim oritur ex cognitione confusa perfectionis seu boni; auersatio sensitiva, ex cognitione confusa imperfectionis (§. 4). Iam cognitio confusa est clara cognitio de tota re, (per def) quae ope attentionis saltem adquiritur (per princ. Log.) Ergo adpetitus sensitivus et auersatio sensitiva attentionem ad perfectionem vel imperfectionem obiecti, quod adpetimus vel auersamur, requirunt q.e.p.

Adpetitus rationalis vero oritur ex cognitione distincta boni, et auersatio rationalis ex cognitione distincta mali (§. cit.). Ad cognitionem distinctam adquirendam autem tam attentione quam reflexione opus habemus (per princ. Log.); consequenter adpetitus et auersatio rationalis praeter attentionem adhuc reflexionem super perfectione vel imperfectione obiecti praesupponunt. q.e.a.

COR. 1. Vbi ergo adpetitus vel auersatio oritur in anima absque omni praevia attentione ad perfectionem vel imperfectionem obiecti, ibi adpetitus nec est sensitivus, nec rationalis, et auersatio nec sensitiva, nec rationalis; consequenter ad stimulos naturales pertinent (§. 4).

COR. 2. *Reflexio*, quum sit attentio ad partes rei continuata, non sit in instanti, sed successiue; adeoque tempus quoddam requirit, maius vel minus, pro maiori vel minori partium numero, et maiori vel minori habitu attendendi: hinc *antequam adpetitus vel auersatio rationalis in anima oriri possint*, obiectum prius per aliquod tempus contemplari debemus, tantum, quantum reflexio super dato obiecto instituenda requirit.

COR. 3. Vbi ergo adpetitus vel auersatio cicius oriuntur, ac super dato obiecto reflectere potuimus, ibi non sunt rationales, sed vel ad stimulos naturales pertinent, vel ad adpetitus sensitivos aut auersationes sensitivas.

SCHOL.

## DE COACTIONE VOLVNTATIS.

9

SCHOL. Euoluimus hic criteria stimulorum naturalium, appetituum sensitivorum et rationalium, ut et auersationum sensituarum et rationalium. Noli haec pro superfluis vel inutilibus reputare: ope illorum enim possumus voluntatem et noluntatem ab appetitu sensitivo et auersatione sensitiva distinguere, vti mox patebit vberius. Frequens horum confusio plurimas de voluntate et noluntate peperit controversias, quae deinde doctrinam de libertate perplexam effecerunt.

## §. VI.

Adpetitus rationalis dicitur *voluntas*; auersatio *ra-*  
*tionalis noluntas*. Prouti autem appetitus et auersatio  
*voluntas et noluntas* tam pro facultate, quam pro exercitio facultatis, seu  
*quid?*  
*pro actu sumuntur* (§. 3. Schol. 2.): ita et voluntas et no-  
luntas tam pro facultate, quam pro actu sumi solent.  
*Actus volendi volitio*; *actus nolendi, nolitio* adpellatur.

SCHOL. Terminus voluntatis valde vagus est, et modo latiore modo in strictiore sumitur significatur. *Latisime* voluntas sumitur pro omni appetitu et auersatione. Hoc significatu saepe sumitur in vita communi; atque sic tam appetitus sensitivus et auersationes sensitivae, quam rationales, immo ipsi stimuli naturales hoc referuntur (§. 4.): vnde etiam brutis voluntatem tribuere solent, qui termino tam lato videntur significatur. *La-*  
*te* denotat appetitum sensitivum et rationalem, auersationem sensitivam et rationalem. Hoc significatu excluduntur stimuli naturales (§. 4.). *Stricte* pro appetitu et auersatione rationali sumitur. Atque sic distinguitur tam a stimuli naturalibus, quam ab appetitu sensitivo et auersatione sensitiva. Hoc significatu sumitur terminus a Scholasticis, quo libidinem a voluntate distinguere possint. Vid. Per-III. L.B. DE WOLFF Metaphys. germ. Cap. III. §. 49. *Strictissime* denotat appetitum rationalem. Quo significatu a Stoicis sumitur, referente GOCLENIO, quos sequutus est CICERO, et recentiores Philosophi sequuntur, dum voluntatem ab auersatione rationali dis-

B

stinguunt,



stinguunt, eandemque ut nos noluntatem vocant. Tertio significatu minimum sumere debemus terminum, si voluntatem pro attributo proprio spiritus habere cupimus absque errore. Quarto significatu sumere debemus terminum, ubi voluntatem a noluntate distinguimus. Saepe tamen etiam a recentioribus fieri solet, ut voluntatem tertio sumant significatu. Nimurum ubi noluntatis mentionem non faciunt, ibi illam sub voluntate simul comprehendere solent. Nos recentiores sequuturi, strictissimo significatu sumimus terminum, atque proinde non solum voluntatem a noluntate, sed et in utraque facultatem ab actu eiusdem seu a volitione et nolitione distinguimus.

### §. VII.

**Requisita voluntatis et noluntatis.** Voluntas est appetitus rationalis; noluntas auersatio rationalis (§. 6.). Quae igitur de appetitu et auersatione rationali demonstrauimus, ea quoque de actibus voluntatis et noluntatis valere debent. Hinc

- 1) *Ratio sufficiens volitionis est cognitio distincta boni: nolitionis, cognitio distincta mali* (§. 4. Cor. 1.).
- 2) *Non datur volitus absque praevia cognitione distincta boni; nec nolitus absque praevia cognitione distincta mali.* Posita vero cognitione distincta boni ponenda est volitus, et posita cognitione distincta mali ponenda est nolitus (§. 4. Cor. 4.).
- 3) *Volitus requirit ut ad perfectionem obiecti eiusdem attendamus atque super eadem reflectamus: nolitus autem ut ad imperfectionem obiecti eiusdem attendamus ac super eadem reflectamus* (§. 5.).
- 4) *Antequam volitus aut nolitus oriiri potest in anima, obiectum per aliquid tempus contemplari debemus, tantum, quantum reflexio super perfectione vel imperfectione obiecti insituenda requirit* (§. 5. Cor. 2.).

**SCHOL.** Legas ea, quae III. DARIES Institut. Iurispr. univers. § 35 sq. hac de re pro more suo, i. e. acutissime proposuit. Iam etiam concipere possumus distinctionem volitionum et nolitionis.

## DE COACTIONE VOLVNTATIS. II

litionum in puras et impuras. Nimirum volitiones et nolitiones sunt adpetitiones et auersationes rationales. Hae vel cum adpetitionibus vel auerfactionibus sensitius coniunctae sunt, vel non. Si hoc; *purae*; si illud; *impurae s. mixtae* vocantur. Volitio *pura* igitur ex sola adpetitione rationali; nolitio *pura* ex sola auersatione rationali consistit. Volitio *impura s. mixta*, praeter adpetitionem rationalem, sensituum habet admixtam: nolitio *impura s. mixta*, praeter auersationem rationalem sensituum habet admixtam. Interdum volitio mixta etiam dicitur, quae aliquam nolitionem secum coniunctam habet; tunc que pura est, qua cum nulla nolitio coniuncta est.

### §. VIII.

*Volitiones et nolitiones sunt actus stricte spontanei.* Re-  
quirunt enim attentionem et reflexionem super perfe-  
ctione vel imperfectione obiecti (§. 7. prop. 3.). Quam  
ob rem, quum actus attentionis et reflexionis sint actus  
stricti spontanei: etiam volitiones et nolitiones ad actus  
stricti spontaneos referre debemus.

COR. Adpetitus sensitui et auersationes sensituae requirunt at-  
tentionem ad perfectionem vel imperfectionem obiecti (§. 5.).  
Hinc quoque ad actus stricti spontaneos referri debent.

SCHOL. Nimirum spontaneitas stricte dicta (die Willkühr) est  
principium entis efficiens intrinsecum, quo ens sine aliorum  
principiorum extrinsecorum efficientium concursu ad diuersas  
actiones se determinare potest. Vid. ill. D ARIES in Element.  
Metaph. §. 39. Monadolog. it. summe reuerendum FRIEDR.  
WAGNER, qui spontaneitatem stricte dictam spontaneitatem ar-  
bitrariam vocat im Versuche einer gründlichen Untersuchung,  
welches der wahre Begriff von der Freyheit des Willens sey. Cap.  
3. §. 26-30. Actus igitur dicuntur stricte spontanei, quatenus  
agens se ex solo principio efficiente intrinseco, absque concur-  
su aliorum principiorum efficientium extrinsecorum ita ad illos  
determinat, ut adhuc ad contrarios se determinare potuisset. Si

autem

## DE COACTIONE VOLVNTATIS.

autem attendimus ad aliquod obiectum, tunc propria vi animae cogitationes nostras ad idem continuamus, ita ut neque a vi externa efficienter ad attentionem determinari possimus, neque per vim internam animae praecise ad attendendum determinemur: poteramus enim adhuc pro lubitu ad obiectum attendere, vel non attendere. Hinc actus attentionis sunt eiusmodi actus, ad quos ex solo principio efficiente intrinseco (nimur ex propria vi animae) absque concurso aliorum principiorum efficientium extrinsecorum, nos ita determinamus, ut adhuc contrarium agere potuissimus. Sunt ergo actus stricte spontanei; atque cum reflexio sit attentio, ad partes rei continua; etiam pertinere debet ad actus stricte spontaneos.

## §. IX.

Obiectum  
voluntatis et  
noluntatis.

*Volumus tantum ea, quae nobis placent; nolumus tantum ea quae nobis displicant.* Nam ea tantum volumus, quae nobis distincte ceu bona repraesentauimus; eaque tantum nolumus, quae nobis distincte ceu mala repraesentauimus (§. 7. prop. I. et II.). Iam quod nobis distincte tanquam bonum repraesentamus, id nobis etiam placet, et quod nobis distincte tanquam malum repraesentauimus, id nobis displicet (per def.). Ergo ea tantum volumus, quae nobis placent; eaque tantum nolumus, quae nobis displicant.

SCHOL. Non tamen omne, quod nobis placet, statim volumus, nec omne quod displicet, statim nolumus. Placeat enim nobis id, in quo perfectionem quandam percipimus, sicuti, in quo imperfectionem quindam percipimus, nobis displicet. Ex cognitione perfectionis autem adpetitus; ex cognitione imperfectionis auersatio oritur (§. 3.). Hinc omne, quod nobis placet, adpetimus; quod nobis displicet, auersamur. Possimus vero tam adpetitu rationali, quam sensitiuo, aliquid adpetere, et tam auersatione rationali, quam sensitiua, aliquid auersari. Siid, quod nobis placet, adpetitu rationali adpetimus, tunc idem demum

## DE COACTIONE VOLVNTATIS. 13

demum volumus (§. 6.); et si, quod nobis displicet, auersatione rationali auersamur, tunc demum nolumus (§. cit.).

### §. X.

Ratio sufficiens volitionis est *motuum volitionis*: ratio sufficiens nolitionis est *motuum nolitionis*. Quoniam vero volitio est adpetitus rationalis; nolitio auersatio rationalis (§. 6.); consequenter actus facultatis adpetitiuae superioris (§. 4. Schol.): hinc *motuum in genere* definiiri potest per rationem sufficientem actus facultatis adpetitiuae superioris.

Motuum volitionis et nolitionis quid?

COR. Ratio sufficiens volitionis est cognitio distincta boni: nolitionis cognitio distincta mali (§. 7. prop. 1.). Hinc motivum volitionis est cognitio distincta boni: motivum nolitionis cognitio distincta mali.

SCHOL. Prouti terminus voluntatis vagus est (§. 6. Schol.); ita et terminus motui varie sumitur. Si voluntas latissime sumitur pro omni adpetitu et auersatione; *motuum latissime sumtum* denotat rationem sufficientem adpetitus vel auersationis; ut adeo rationes stimulorum naturalium quoque huc pertineant. Si voluntas late sumitur pro adpetitu sensitivo et rationali, auersatione sensitiva et rationali, tunc *motuum late sumtum* quoque denotat rationem sufficientem adpetitus sensitivi, vel rationalis; auersationis sensitiae vel rationalis; atque tunc consistit in cognitione confusa vel distincta boni vel mali. Si voluntas stricte sumatur, pro adpetitu et auersatione rationali, tunc *motuum stricte sumtum* denotat rationem sufficientem adpetitus vel auersationis rationalis; atque sic consistit in cognitione distincta boni vel mali. Si tandem voluntas strictissime sumatur pro adpetitu rationali, atque a noluntate, quae tunc est auersatio rationalis, distinguatur; tunc *motuum strictissime sumtum, volitionis*, est ratio sufficiens volitionis, atque consistit in cognitione distincta boni: *nolitionis* est ratio sufficiens nolitionis,

nis, atque consistit in cognitione distincta mali. Ultimo significatu nos sumere terminos, nemo non videt.

## §. XI.

Motiuum  
completum  
et incomple-  
tum quid?

Motiuia sunt representationes distinctae boni vel mali (§. 10.). Si autem obiectum distincte ut bonum vel malum cognoscimus, tunc vel omnes rationes expendimus, ob quas obiectum bonum vel malum iudicatur, vel non omnes. Si prius; *motiuia completa*: si posteriorius; *motiuia incompleta* dicuntur. Quando igitur motiuum volitionis vel nolitionis completum, vel incompletum sit, patet.

SCHOL. Nimirum si iudicamus obiectum bonum vel malum, tunc idem vel quoad partem tantum, vel qua totum considerare possumus; item vel in se, vel sub certis circumstantiis, tam generalibus, quam specialibus; atque tunc fieri potest, vt, quod quoad certam partem, vel in se consideratum, bonum videbatur, quoad reliquias partes, vel sub circumstantiis consideratum malum sit, et vice versa. Vnde si rem priori modo consideramus, accipimus *motiuia tantum incompleta*: si autem totam sub omnibus circumstantiis spectamus; accipimus *motiuia completa*.

COR. 1. Fieri ergo potest, vt, quod certo respectu est motiuum completum, alio respectu sit motiuum incompletum. Quod vero absolute completum motiuum est, incompletum fieri nequit, in quocumque respectu etiam consideretur.

COR. 2. Patet etiam, fieri posse, vt motiuum completum contrarium sit motiuo incompleto, h.e. si motiuum incompletum fuerit motiuum volitionis; completum, ab eodem obiecto desumptum, potest fieri motiuum nolitionis et vice versa.

## §. XII.

Non datur  
volitio vel  
nolitio sine  
motiuis.

*Fieri nequit, vt sine motiuis aliquid velimus vel nolimus.*  
Etenim motiuum volitionis est ratio sufficiens volitionis:

## DE COACTIONE VOLVNTATIS. 15

nis: motuum nolitionis est ratio sufficiens nolitionis (§. 10.). Atqui non datur volitio vel nolitio sine ratione sufficiente (per princip. rat. suff.). Ergo fieri nequit, ut si ne motiuis aliquid velimus vel nolimus.

Eadem propositio etiam hac ratione corroborari potest. Non datur volitio absque cognitione distincta boni; nec nolitio absque cognitione distincta mali (§. 7. prop. 2.). Cognitio distincta boni autem est motuum volitionis; cognitio distincta mali motuum nolitionis (§. 10. Cor.). Ergo non datur volitio nec nolitio absque motiuis.

SCHOL. Quamvis hoc usque nemo exemplum volitionis vel nolitionis in medium proferre potuerit, quo quis absque motiuis aliquid voluisse, vel noluisse; datur tamen, qui, gratis licet, nos sine motiuis aliquid velle vel nolle posse, statuunt. Quos ex facili refutare poteris, partim ex propositione iam demonstrata, partim si ad ipsum exemplum, quod ceu instantiam proferunt, attendis. Patebit enim ex exemplo addato, vel re vera non adesse volitionem vel nolitionem, sed confundi stimulos naturales, vel adpetitus sensitiuos atque auersationes sensitiuas, vel etiam consuetudinem agendi cum volitione et nolitione; vel, si quae volitio aut nolitio adest, adesse quoque re vera motiuia, quae detegere poteris, si modo sufficierent ad casum propositum attendas, satisque sis acutus. Nimirum motiuia vel ex determinationibus obiecti intrinsecis, vel extrinsecis, seu circumstantiis desumi possunt (§. 11.). Si igitur ex determinationibus obiecti intrinsecis nulla motiuia adpareant, tunc ad extrinsecas attendere debes, quia saepissime in illis circumstantiis latent. Legas hic ea, quae Per Ill. L. B. de WOLFF Psychol. Empir. P. II. Sect. II. Cap. I. §. 899 - 902. demonstravit. Qui volitionem et nolitionem ab adpetitu sensitiuo et auersatione sensitiua; a stimulis naturalibus, atque consuetudine agendi distinguere potest; is sane ex propria experientia numquam exemplum in contrarium reperiet. Nam ubi reuera aliquid vult,

vult, ibi habet adpetitum rationalem (§. 6.); adeoque adpetitum ex cognitione distincta boni ortum (§. 4.). Cognitio distincta vero cum conscientia coniuncta est, et symbolis communicari potest (per Log.): ergo reuera volens simul sibi conscientia est boni, ob quod obiectum vult, et poterit hanc suam boni cognitionem symbolis communicare. Hoc dum agit, re vera motiuua volitionis sua communicat. Pone te non posse motiuua symbolis communicare, vel tibi non conscientia esse motiuorum: non habebis cognitionem distinctam boni: ergo non habes adpetitum ex cognitione distincta boni ortum: ergo non habes adpetitum rationalem (§. 4.): ergo non volitionem (§. 6). Id ipsum ergo, quod tibi non conscientia motiuorum, te concuincit, quod re vera non habeas volitionem. Eadem ratione etiam de nolitione argumentari poteris.

### §. XIII.

Voluntas antecedens et consequens quid?

Nihil volumus sine motiuis volitionis; nihil nolumus sine motiuis nolitionis (§. 12.). Motiuua autem sunt vel completa, vel incompleta (§. 11.): ergo tam ex motiuis incompletis, quam completis velle vel nolle possumus. Priori casu voluntas vel noluntas (pro actu sumpta) dicitur *antecedens, praevia, inclinatoria, item excitatoria*: posteriori voluntas vel noluntas *consequens, finalis, decisua, item, decretoria*.

**COR.** Fieri potest, vt motiuua completa incompletis sint contraria §. 11. Cor. 2.): ergo et voluntas et noluntas consequens antecedenti contraria esse potest, h. e. quod erat obiectum voluntatis antecedentis, obiectum noluntatis consequentis fieri potest; et quod erat obiectum noluntatis antecedentis, obiectum voluntatis consequentis fieri potest.

**SCHOL.** Ita si quis intuetur cœlum serenum et blandum aëris tactu percipit calorem recordatus, a Medicis sibi commendatum esse, vt exspatiatus deambulando resfciat corpus; exspatiari vult. Ast ubi ad animum reuocat, quae iam agenda sunt, differri

## DE COACTIONE VOLVNTATIS.

17

differri minime posse; exspatiari non vult, sed potius domi manere vult. Prior voluntas est antecedens, oritur enim, nondum speciatim circumstantiis specialibus; adeoque ex motu incompleto (§ 11.): altera vero est voluntas consequens, quia nata est, speciatim circumstantiis specialibus, adeoque ex motuis compleatis (§. cit.). Sed quia nunc malum iudicatur, quod antea bonum videbatur, voluntas consequens antecedenti contraria est.

### §. XIV.

Loquuntur etiam Philosophi de actibus voluntatis elicitis et imperatis. Quam diuisiōnem breuissimis hic inquirere nos oportet, praesertim cum in quaestione propositam influat (§. 1.). Nimirum si quem actum cogitas, hic vel in voluntate rationem habet s. ab eadem dependet, vel non. Si prius; est *actus voluntarius*: sin posterius; *actus minus voluntarius*. Actus voluntarius vel immediate a voluntate dependet, vel mediate. Priori casu *actus elicitus*: posteriori *actus imperatus* vocatur.

Actus voluntatis elicitus et imperatus quid?

SCHOL. Actus elicitus voluntaris ergo est actus voluntarius, qui immediate a voluntate dependet: actus imperatus vero est actus voluntarius, qui mediate a voluntate dependet. Ad has diuisiones intimius perspicienda tenendum, 1) quod voluntas hic pro facultate sumitur, non autem pro volitione 2) et quidem latiori significatu, scilicet tertio significatu, quo etiam noluntatem comprehendit (conf. §. 6. Schol.)

### §. XV.

Actus elicitus immediate a voluntate, pro facultate sumita, dependet (§. 14.): hinc etiam *ab ipsa voluntate vterius ex et simul in voluntate producitur*. Actus imperati vero mediate a voluntate dependent (§. cit.): *hinc non ab ipsa voluntate, sed ab aliis facultatibus, a voluntate motis, prouenient*.

Actus elicitus  
et simul in voluntate producitur.  
Actus imperati vero mediate  
a voluntate dependent.

C



## DE COACTIONE VOLVNTATIS

nunt. *Vid. Valent. VELTHEMII Instit. Metaphys.* pag. 1009. §. 3. *Frid. WAGNERI l. c. §. 59.* in fine. **BVDDEVS** Element. philosoph. Pract. p. 28. §. 44. Iam voluntas pro facultate sumta, est facultas appetitus rationales et auer-sationes rationales producendi (§. 6.); adeoque imme-diate ab illa dependent appetitus rationales et auersatio-nes rationales, seu volitiones et nolitiones (§. cit.). Hinc actus voluntatis eliciti sunt volitio et nolitio.

**SCHOL.** De numero actuum elicitorum voluntatis non omnes conueniunt **BVDDEVS** l. c. p. 27. §. 42. sq. sex actus volun-teatis numerat, hucque referit volitionem, intentionem, fruitio-nem, electionem, consensum et usum. Quorum tres priores ad finem, posteriores ad media pertinere autum. Primo enim, inquit, finem cognitum voluntas approbat, deinde ad eundem consequendum efficaciter se mouet, et tandem eo obtento fruitur, placideque adquiescit. Sic et media primo probantur, tum quae maxime idonea visa fuerint, eliquuntur, et denum usui adpli-cantur. Et bi quidem omnes actus eliciti vocari solent, eo quod ab ipsa voluntate producuntur, et ab eadem recipiuntur. Alii plures numerant. Nos non negamus, enumeratos actus ad actus voluntatis elicitos referendos esse, quippe sunt volitiones; hoc tamen non obstante cum **VELTHEMI** l. c. p. 993. statuimus, duplicum in vniuersum dari actum elicitem, volitionem et nolitionem, propterea quod omnes reliqui ad hos reduci possunt, ac saltem ratione obiecti volitionis vel nolitionis discernuntur. Quodsi iam hos actus ratione obiecti distingue-re cupi, plures sane hic referre poteris. Ad volitionem enim amorem, benevolentiam, propositum et quae reliqua referre poteris, sicut horum actuum oppositi ad nolitionem referendi sunt.

## §. XVI.

Actus imperati non ab ipsa voluntate, sed ab aliis facultatibus, a voluntate motis, prouenient (§. 15.) v. c. loqui,

Actus impe-rati enume-rantur.

## DE COACTIONE VOLVNTATIS. 19

loqui, scribere, ambulare, meditari, saltare, edere, bibere etc. Nimirum dantur facultates animae ac corporis, a voluntate diuersae, quarum exercitium ab arbitrio nostro, et hinc etiam a voluntate nostra dependere potest, vel in totum, vel in tantum: vnde etiam actiones illarum facultatum, quatenus a voluntate dependent, *voluntariae* dicuntur, et animae eatenus *imperium* in illas tribuitur. Pertinet *buc in anima* exercitium facultatis cognoscitiae, tam superioris, quam inferioris; interdum etiam exercitium facultatis adpetitiuae inferioris: *in corpore* exercitium potentiae locomotiae. Hicum facultatum actus, quatenus a voluntate dependent, sunt actus imperati.

COR. 1. Ad facultatem cognoscitiam inferiorem sensations, imaginationes, fictiones et reminiscencia; ad superiorem, operationes intellectus, et hinc reflexio, meditatio, abstractio, comparatio, diuisio idearum, iudicium, ratiocinatio et demonstratio: Ad facultatem adpetitiuum inferiorem adpetitus sensitius, auersatio sensitua, et affectus sensitui referuntur. Hinc patet, quatenus haec operationes actus voluntatis imperati dici possint.

COR. 2. Reete ergo VELTHEMIVS l. c. pag. 998. ad omnem actionem imperaram a voluntate requirit 1) ut sit effectus voluntatis, 2) ut non fiat in voluntate, seu ut voluntas non sit subiectum istius actionis.

SCHOL. Imperium, quo voluntas reliquis facultatibus hominis imperat, pro ipsarum facultatum diversitate differre debere, quilibet facile perspiciet. ARISTOTELES duplex imperium statuit: δεσποτικὸν et πολιτικὸν. Prius vocat imperium, quo voluntas ita facultati cuidam imperat, ut illa nullatenus queat resistere: alterum, quo voluntas ita imperat aliis potentiae, ut tamen ea potentia possit obniti, immo saepe obnittatur ac resistat. Priori modo imperat voluntas potentias locomotius. Ponas e. g. Sempronium in medio scalarum positum; penderit vnice ab arbitrio Sempronii, ascendere velit, an descendere.

20 DE COACTIONE VOLVNTATIS.

dere. Si igitur adscendere vel descendere vult, potentia locomotiva voluntati imperanti resistere non potest. Posteriori modo voluntas imperium habet in imaginationem, et facultatem appetitivam inferiorem, e. g. Parricidam conscientia accusat de graui delicto commisso. Imaginatio continuo reproducit cogitationem delicti commissi, atque quoniam semper animo obuersatur, ob id ipsum parricida cruciat a conscientiae morsibus. Remouere cupit hos cruciatus: decernit animum abducere a delicto commisso: voluntas imaginationi imperat, sed frustra: imaginatio contra voluntatem Parricidae reproducit cogitationem delicti; atque sic resistit imperio voluntatis. Eodem modo se res habet cum facultate appetitiva inferiore. Illa saepe repugnat voluntati imperanti, ceu videmus in lucta carnis et spiritus, si caro spiritum vincit. Pugnae huic tribendum, quod videamus meliora, atque probemus, deteriora sequamur.

§. XVII.

Actibus imperatis, qua talibus, semper respondent in voluntate actus eliciti.

Nam si actus imperati, qua tales, considerantur, sunt actus voluntarii, et dependent mediate a voluntate (§. 14.): ergo anima illos actu velle, vel nolle debuit, antequam producuntur. Actus volendi est volitio, et actus nolendi, nolitio (§. 6.): ergo volitio vel nolitio actum imperatum antecedere debuit. Quam ob rem, quum volitio et nolitio sint actus voluntatis eliciti (§. 15.); manifestum est, actibus imperatis, qua talibus, semper respondere in voluntate actus elicitos.

COR. Quatenus ergo actioni ab alia facultate productae non respondet actus elicitus, siue volitio vel nolitio, eatenus non est actus imperatus.

SCHOL. I. Ita si phantasma imaginationis antecedit voluntas imaginationis phantasma producendi, tunc ipsum phantasma est actus voluntatis imperatus; quodsi vero praeter, vel contra

## DE COACTIONE VOLVNTATIS. 21

tra voluntatem veniat phantasma, prouti in casu (§. 16. Schol.) adducto, tunc non est actus voluntatis imperatus. Similiter si motum corporis antecedit voluntas se ita mouendi, erit motus corporis actus imperatus; ast non est imperatus, si praeter vel contra voluntatem producitur. Probe notandum est hoc theorema, ob ea, quae de coactione voluntatis sequuntur.

SCHOL. 2. Hactenus voluntatis naturam euoluimus, quantum pro scopo nostro sufficere potest. Plura quidem de voluntate dicenda essent, si totam exaurire cuperemus materiam. Sed id iam non agimus. Transimus igitur ad alteram notionem, *coactionem* nimirum, qua distincte euoluta, ex comparatione notionum tunc facile ad propositam quaestionem respondere poterimus.

### §. XVIII.

Si quis libere agit, tunc nondum cogi dicitur ad *Coactio*, eiusque species. Prouti autem terminus libertatis vagus est, atque in latiore et strictiore significatu sumi solet; ita et *coactio* terminus latiori et strictiori significatu sumi solet. Nimirum generatim libere agere quis dicitur, qui ita agit, vt ad agendum non determinetur (vid. Ill. DARJES Instit. Iurisprud. vniuers. §. 52. Schol.): vnde ex opposito *coacte* quis agit, quaterius ita agit, vt ad agendum determinetur. *Coactio* ergo in genere est actus, quo quis ad agendum determinatur. Prouti ergo quis ad agendum determinatur, ita etiam cogitur. Nam vel determinari potest per principium extrinsecum, vel intrinsecum: Si prius; *coactio externa* est, quæ in specie *coactio* vocatur: si posterius; *coactio interna* dicitur. Interne coactus ergo a principio intrinseco h. e. tali, quod in illo ipso est, determinatur ad agendum. Principium hoc vel est efficiens, vel non: Siprius, est *coactio physica interna*, quae etiam

## 22 DE COACTIONE VOLVNTATIS.

etiam *necessitas interna* a nonnullis dicitur: sin posterius; est *coactio moralis interna*.

SCHOL. Coactio physica interna igitur solum dependet a principio efficiente s. physico interno. Per illam agens absque omnitarbitrio praecise ad hoc et non aliud agendum determinatur, ita, ut resistere nequeat, vnde etiam *necessitas interna* agendi dicitur, quod secus est in coactione morali. Illa non dependet a principio physico s. efficiente interno; consequenter adhuc arbitrium quoddam hic locum inuenit, et dependet actio simul a cognitione agentis. Nimirum illud agit, quod sibi tanquam bonum repraesentauit; illud non agit, quod sibi tanquam malum repraesentauit: vnde simul constat, quod actiones, ad quas quis moraliter interne cogitur, cum appetitu producantur (§. 3.). Quia vero posita representatione boni necessario appetitus ponitur (§. cit.): hinc etiam per hanc cognitionem boni ad agendum determinatur, et cogitur agens. Rem exemplis illustrabimus. Circulus sanguinis, concoctio, conuulsiones in corpore nostro mere dependent a caussis physicis. Sunt igitur motus, ad quos producendos corpus nostrum determinatur per principium efficiens. Quatenus ergo a principio intrinseco dependent, eatenus ad illos producendos physice interne cogimur. Simili modo motus in automatis se excipiunt. Si vero, qui studiorum caussa in academia degit, sibi bonum iudicat, ut collegia frequenter, hancque ob cognitionem proprio motu ea frequentat, quae ad scopum suum faciunt, tunc interne quoque cogitur ad agendum, sed moraliter, quia principium, a quo ad agendum determinatur, non est efficiens s. physicum, sed cognitio boni. Similiter si quis petenti eleemosynas dat, propterea quod bonum iudicat, ut egentem iuvet, cogitur ad eleemosynas petenti dandum interne et quidem moraliter. Dicis forsitan, hoc usui loquendi repugnare, ut ille cogi dicatur ad agendum, qui tamen proprio motu agit. Sed qui ita iudicant, coactionem externam in mente habent, quae saepe simpliciter coactio dicitur; sicque nos non habent dissentientes, si eleemosynas dantem, et collegia frequentantem

## DE COACTIONE VOLVNTATIS. 23

tem cogi negant. Scilicet externe non coguntur ad agendum, quia proprio motu agunt: interne autem coguntur utique ad agendum. Cognitio enim boni praevia necessitatem agendi moralem illis imponit: hoc autem usui loquendi non repugnat, ut illum cogi dicamus, qui ex necessitate quadam agit.

### §. XIX.

Coactio externa est actus, quo quis ad agendum determinatur a principio extrinseco (§ 18). Hoc principium extrinsecum iterum vel efficiens est, vel non. Si prius, *coactio physica externa* est: si posterius, est *coactio moralis externa* late sumta. Haec vel fit per excitationem cognitionem malorum externorum, inferendorum, si alter actionem non faciperet, vel non. Priori casu est *coactio moralis externa stricte sumta*. Coactio physica externa et moralis externa stricte sumta a permultis *simpliciter coactio* dicuntur. Observamus enim, illos, qui de coactione simpliciter loquuntur, semper coactionem physicam externam vel moralem externam stricte summam subintelligere.

SCHOL. Coactio physica externa ergo dependet a principio efficiente extrinseco, seu a vi externa physica, qua quis praecise ad hoc et non aliud agendum determinatur: unde hoc modo coactus agit ex necessitate physica externa. Ita e.g. mola pneumatica a vento; tympanum ab aqua agitur: libra, sublatro aequilibrio, inclinatur: projectum corpus graue curuam motu suo describit: in contrarias plagas impulsum secundum lineam diagonalem mouetur. Omnes hi motus dependent a principio efficiente extrinseco; adeoque a coactione physica externa. Hoc modo homo fustigatus cogitur, ut dolorem sentiat: cui opium dedisti, cogitur, ut dormiet: venenatus cogitur, ut moriatur, nisi tempestive illi subueniatur. Pater exinde simul, actionem physice externe coactam non dependere a cognitione boni

boni vel mali. Siue enim agens bonam, siue malam iudicet, praecise tamen determinatur ad illam producendam: vnde etiam *inuita per violentiam* dicitur. *Coactio moralis externa* vero non dependet a principio efficiente extrinseco, sed a cognitione ab alio excitata. Hinc *si late sumitur*, poterit quis hoc significatu tam per bona, quam per mala repraesentata cogi, et quidem tam per bona vel per mala interna, h. e. quae ex natura actionis fluunt, quam externa, quae per voluntatem cogentis cum actione connectuntur. Si vero *strictè sumitur*, tum dependet quidem a cognitione ab alio excitata, sed a cognitione 1) malorum, 2) externorum, quae, si non egerit, illi inferri debent. Hoc modo legislator subditos cogit, ut legibus promulgatis obedient, dum leges sanctione poenali munit. Dum enim leges sanctione poenali munit, excitat in subditis cognitionem malorum externorum (poenarum scilicet), illis inferendorum, nisi legibus obedientiam praestent.

## §. XX.

*Coactio physica tollit spontaneitatem strictè dictam.*

*Qui physice coactus agit, non agit strictè spontanee. Qui interne physice cogitur, determinatur a principio efficiente intrinseco ad agendum (§. 18.): agit ergo quidem ex solo principio efficiente intrinseco; adeoque sponte latiori significatu. Quia autem praecise ad hoc et non aliud agendum determinatur (§. cit.); non ita agit, ut adhuc ad diuersas se determinare potuisset actiones: consequenter non agit strictè spontanee (§. 8. Schol.) q. e. p.*

*Porro qui externe physice cogitur, per principium efficiens extrinsecum ad agendum determinatur (§. 19.): consequenter non agit ex solo principio efficiente intrinseco, nec ad diuersas se determinare potest actiones. Ergo ne quidem latiori significatu spontanee agit; multo minus strictè spontanee agere poterit (§. 8. Schol.). q. e. a.*

COR.

## DE COACTIONE VOLVNTATIS.

25

COR. 1. Actus attentionis et reflexionis sunt stricte spontanei (§. 8. Schol.): ergo non possunt physice extorqueri. Nemo ergo neque interne neque externe physice cogi potest, vt ad obiectum attendat, vel super illo reflectat.

COR. 2. Actiones ergo, ad quas actuandas attentio vel reflexio requiritur, coactioni physicae subiici nequeant, neque internae, neque externae (p. Cor. 1.).

### §. XXI.

*Coactio moralis non tollit spontaneitatem stricte dictam.*  
Qui enim moraliter ad agendum cogitur, is non per principium efficiens praecise ad hoc agendum determinatur, sed ob cognitionem boni vel mali agit (§. 18. et 19.). Ergo adhuc ex solo principio efficiente intrinseco ad agendum se determinare potest; atque quoniam non praecise ad hoc agendum determinatur, etiam ad *diversas* se adhuc determinare potest actiones: consequenter adhuc stricte spontanee agere potest (§. 8. Schol.).

Coactio mo-  
ralis eandem  
non tollit.

COR. Hinc etiam moraliter coactus, posita licet coactione, adhuc tamen contrarium agere potest.

SCHOL. Nimur qui moraliter interne coactus agit, agit ob cognitionem boni vel mali intrinsecam, quam ipse adquisuit (§. 18.). Sed, licet haec cognitio illum ad agendum determinet, tamen non ita determinat illum, vt praecise hoc agere debeat. Fieri potest, vt contra cognitionem suam agat; vt videat meliora atque prober, deteriora sequatur, quod quotidiana loquitur experientia. Hinc, posita licet coactione moralis interna, adhuc tamen contrarium agere potest. Idem dicendum de coactione morali externa, tam late, quam stricte sumta. Late sumta fieri potest per cognitionem boni vel mali ab alio excitatam (§. 19.). Sed quotidiana experientia loquitur, quod homines obduri atque pertinaces omnes fussiones atque admonitiones insuper habeant, ita vt nihil efficiat, bona vel mala quaecumque illis depingas, ex actione sequentur.

D

Sper-



Spernunt haec: manent immoti: agunt contrarium. Coactionem moralem externam stricte sumtam, quod attinet, sit haec per excitatam cognitionem malorum externorum inferendorum, si alter actionem non suscipere (§. 19.); adeoque per motiva nolitionis externa (§. 10.). Sed nec haec impedit, quo minus coactus contrarium agere possit. Siue enim mala externa praemineris tantum, siue actu illi infligas; utroque tamen casu fieri adhuc potest, ut contrarium agat. Pone accusari aliquem de homicidio commisso, cogique, ut delictum commissum fateatur. Poteris illum cogere, ut confiteatur delictum, partim mala praeminando, que illi infligenda essent, nisi utro factum confiteretur, de quo iamiam ex aliorum testimoniis satis constaret, quod ab ipso commissum sit; partim actu mala illi infligendo v. c. torturae illum subiiciendo. Sed si delinquens cognoscit, se facta confessione, ad supplicium a iudice condemnatum iri; fieri potest, ut torturam sustinere malit, quam supplicium. Sustinebit igitur torturam, atque pertinaciter negabit, homicidium a se commissum esse. Agit ergo iterum contrarium, licet ad confessionem delicti externe coactus sit, per coacionem moralem stricte sumtam.

## §. XXII.

Dicta applicantur ad quaestionem propositam.

Hactenus de coactione. Iam comparemus notiones voluntatis et coactionis, quo ad quaestionem, an, et quatenus voluntas hominis cogi possit, respondere queamus. Sumitur autem hac in quaestione voluntas late, ut ipsam noluntatem quoque includat (conf. §. 6. Schol.), et quidem pro actu, non autem pro facultate, quod quilibet ex facili perspicere poterit. Hinc sensus quaestioonis est: *virum dentur actus voluntatis vel noluntatis, ad quos producendos homo cogi potest; et si dantur, quomodo ad illos producendos cogi possit?* Actus autem voluntatis (vel noluntatis) erant vel eliciti, vel imperati (§. 14.). Hi ergo sunt subiectum quaestioonis propositae. Atque quoniam

## DE COACTIONE VOLVNTATIS. 27

niam in praedicto species coactionis non exprimitur,  
omnes figillatim perlustrare debemus.

### §. XXIII.

*Voluntas quoad actus elicitos cogi potest moraliter, et qui-  
dem tam interne, quam externe. Nam actus eliciti volun-  
tatis sunt volitio et nolitio (§. 15): harum ratio sufficiens  
est cognitio distincta boni vel mali (§. 7, prop. 1.). Ra-  
tio sufficiens autem etiam rationatum determinat (per  
vulg. Ontolog.): ergo actus eliciti voluntatis per cogni-  
tionem distinctam boni vel mali determinari possunt. Tam  
actus, quo quis ad agendum determinatur, est coactio  
(§. 18): ergo voluntas, quoad actus elicitos, cogi potest  
per cognitionem distinctam boni vel mali. Coactio au-  
tem, quae fit per cognitionem boni vel mali, est mo-  
ralis (§. 18, 19): ergo voluntas quoad actus elicitos co-  
gi potest moraliter. q. e. p.*

Voluntas  
quoad actus  
elicitos mo-  
raliter cogi  
potest.

Coactione morali interna quis determinatur per cognitionem boni vel mali, quam ipse, propria meditazione, de obiecto adquisiuit, ad agendum (§. 18.): coactione morali externa vero determinatur per cognitionem boni vel mali ab alio excitatam (§. 19.); et coactione morali externa stricte dicta determinatur per excitatam cognitionem malorum extenororum inferendorum, si actionem non susciperet (§. cit.). In omnibus casibus itaque per cognitionem boni vel mali determinatur agens ad agendum. Quam ob rem quum voluntas, quoad actus elicitos, per cognitionem boni vel mali determinari possit (p. membr. 1.): manifestum est, voluntatem, quoad actus elicitos, tam interne quam externe quoque moraliter cogi posse. q. e. a.

N.R. 2

D 2

COR.

28 DE COACTIONE VOLVNTATIS.

COR. Quoniam autem coactio moralis spontaneitatem stricte dictam non tollit, sed moraliter coactus, posita licet coactione, contrarium adhuc tamen agere potest (§. 21.): Hinc actus voluntatis eliciti, posita coactione morali, non desinunt esse actus stricte spontanei, nec per eandem plane irresistibili modo extorquentur.

SCHOL. Ita qui cognoscit, se per naturam obligatum esse ad inimicum emolliendum, hoc ut faciat, bonum sibi iudicare potest. Posito hoc iudicio inimicum emollire vult. Determinatur ergo ad hunc actum elicitum voluntatis, quia sibi bonum esse iudicavit, ut inimicum suum emolliat: hinc et interna moraliter ad hunc actum elicitum cogitur. Si quis vero cognoscit polygamiam simultaneam sub poena capitali esse prohibitam, meru supplicii determinari potest, ut polygamiam simultaneam inire nolit. Tunc determinatur per excitaram cognitionem malorum externorum inferendorum ipsi, si polygamiam simultaneam iniret. Cogitur ergo moraliter externe ad hunc actum elicitum, ut polygamiam simultaneam inire nolit.

§. XXIV.

Et semper ita  
cogitur.

*Voluntas quoad actus elicitos semper cogitur moraliter.*  
Actus eliciti enim voluntati sunt volitio et nolitio (§. 15.). Sed non datur volitio absque praevia cognitione distincta boni, nec nolitio absque praevia cognitione distincta mali (§. 7. prop. 2.): ergo volitio et nolitio semper determinari debent per cognitionem boni vel mali (§. cit. prop. 1.); consequenter et voluntas, quoad actus elicitos, semper cogitur moraliter (§. 18. et 19.).

SCHOL. Non tamen necesse est, ut coactio moralis semper externa sit. Illud tamen exinde patet, quod illi a veritate alienam sententiam foueant, qui voluntatem, quoad actus elicitos, externe plane cogi non posse statuunt.

§. XXV.

## DE COACTIONE VOLVNTATIS. 29

### §. XXV.

*Quoad actus imperatos mediate voluntas cogi potest moraliter.* Etenim actus imperati sunt actus voluntarii, qui mediate a voluntate dependent (§. 14.): ergo etiam voluntas, quoad actus imperatos, mediate cogi potest moraliter (per demonstr. §. 23. 24.).

Quoad actus  
imperatos co-  
gi potest mo-  
raliter.

COR. Poterant ergo et actus imperati tam internae quam externae coactioni morali subiici.

SCHOL. Ita aegrotus medicum, cui confidit, consulere potest, vel, quia propria meditatione hoc sibi bonum iudicat, vt consilio medici vntur, vel aliorum admonitione idem agnoscit. Si igitur medicum consulit, producit hunc actum imperatum ob cognitionem boni, et cogitur ad eundem producendum moraliter, sed mediate. Immediate enim cogitur per hanc cognitionem, vt medicum consulere velit; adeoque ad actum elicitem voluntatis: deinde autem posta volitione actu illum demum consulit, et cogitur mediate ad actum imperatum producendum.

### §. XXVI.

*Voluntas quoad actus imperatos, qua tales, semper cogitur moraliter.* Etenim si actus imperati, qua tales, considerantur, illis semper in voluntate respondent actus eliciti similes, a quibus dependent (§. 17.). Quam ob rem quem hi semper cogantur moraliter (§. 24.), mediate etiam voluntas, quoad actus imperatos, qua tales, semper cogitur moraliter.

Et semper ita  
cogitur.

SCHOL. Videmus ergo in respectu ad coactionem moralem non aliam adesse differentiam inter actus voluntatis elicitos et imperatos, quam quod voluntas quoad actus elicitos immediatamente, quoad actus imperatos autem mediate tantum cogi possit moraliter, et actu cogatur. Nec mirum hoc cuidam videri

D 3 potest,



30 DE COACTIONE VOLVNTATIS.

poteſt, qui conſiderat, quod ambo ſint aetus voluntarii, et in eo tantum diſſerant, quod elicituſ immediate a voluntate dependeant, atque ob id ipsum etiam in voluntate producantur; imperati vero mediate a voluntate dependeant, atque hinc non in ipſa voluntate, ſed per alias facultates producantur, quae tam a voluntate mortae ſunt (§. 14. 15. 16.).

§. XXVII.

Quoad actus  
elicitos phy-  
ſice cogi ne-  
quit.

*Voluntas, quoad actus elicitos, non potest cogi physice.* Nam coactio physica tollit spontaneitatem stricte dictam (§. 20.); actus elicituſ voluntatis autem ſunt volitio et nolitio (§. 15.); adeoque actus stricte spontanei (§. 8.). Ergo voluntas quoad actus elicitos non potest cogi physice.

COR. 1. A negato genere ad negandas species valet conſequentia (per Log.). Ergo voluntas, quoad actus elicitos, neque interne neque externe physice potest cogi (§. 18. 19.).

COR. 2. Est ergo voluntas, quoad actus elicitos, libera a coactione physica interna, et externa; conſequenter ab omni neceſſitate physica, tam interna, quam externa.

SCHOL. 1. Opponis forſtan experientiam, quaſi illa duce conſtareret, ſaepe voluptatem quoad actus elicitos externe physice cogi; adeoque etiam cogi poſſe. Res eſet in vulgus nota, daß man einem den Willen ſchön maiben könnte. Ponas Caium fratrem ſuum germanum veneno interfecisse, ita, vt ſatis iamiam de delicto ab illo commiſſo conſteret, deficiat ſaltim adhuc propria eius confeſſio. Iudex Caium in queſitionem poſtulat, quo confeſſionem illius eliciat, ſed irrito plane ſuccēſſu: negat Caius, ſe delictum hoc commiſſe, atque perneget, atque hinc vltro conſiteri ei veritatē dicere non vult. Iudex autem, quum omnes circumſtantiae ſatis monſtrant, Caium homicidium hoc commiſſe, videt delictum ſaltim dolofe atque perniciſter ab illo negari; hincque duriora cenſet adhibenda eſſe media ad confeſſionem eliciendam. Minatur igitur Caio torturam, niſi vltro conſiteretur delictum: Caius adhuc

## DE COACTIONE VOLVNTATIS. 31

huc negat. Iudex vltius progrederit. Ostendi iubet Ca' o instrumenta, quorum ope torturae subiiciendus esset, nisi confiteretur: hic adhuc negat factum a se esse commissum. Iudex torturae subiici iubet Caium: subiicitur: sustinet primos gradus; manet adhuc immotus: negat pertinaciter. Iubet vltius progrederi iudex. Sed quoniam Caius duriores gradus sustinere nequit, tandem confiteretur, ita factum esse; se interficisse veneno germanum suum fratrem. En exemplum de coactione physica voluntatis quod agum elicitum! Initio Caius delictum confiteri nolebat; non habebat volitionem. Iam confiteretur: haber ergo volitionem; sed tormentis confectam: ergo physice extortam. Volitio est actus elicitus: ergo voluntas quod actus elicitus physice cogi potest. Non nego, exemplum hoc magnam prae se ferre speciem. Sed ob id ipsum elegi, quia hoc resolundo simul omne, quod cuidam superesse poterat, dubium, remouere posse existimo. Attendas modo ad circumstantias casus, nunc res erit in vado. Caius initio delictum vltro confiteri et veritatem dicere non vult. Habet ergo nolitionem. Qua vero ex caussa? metuit supplicium, quo facta confessione adficiendus esset. En motuum nolitionis, ob quod delictum confiteri non vult (§. 50.). Hoc dum pensat, nondum cogitat de tortura, cui subiiciendus erat, nisi vltro factum confiteretur, vel saltim nondum de eo, quod tormenta sustinere non potuerit. Melius ergo iudicat esse, negare factum, quam confiteri, atque deinde supplicio adfici: vel, si etiam de tormentis initio statim cogitauit, melius adhuc esse iudicauit, sustinere tormenta, quam supplicio adfici. Sed vtroque casu iudicat ex motiuis incompletis tantum (§. 11.), vultque delictum negare voluntate antecedente (§. 13.). Postquam autem torturae subiicitur, atque gradus continuo augeri videt, continuo quoque maiores sentit dolores, ac tandem cruciatus omnes se sustinere non posse iudicat. Nunc melius iudicat esse, delictum tempestiu consiteri, atque deinde supplicio adfici, quam duriores adhuc perpeti gradus torturae hisque perlati nihil minus tamen ad confessionem cogi, quia se omnes tamen gradus perferre non posse praevident. Itaque iam



iam voluntatem antecedentem mutat. Vult nunc delictum confiteri, quod voluntate antecedente non volebat, sed qua ex ratione? quia alia motiva accepit, ex quibus melius iudicat esse, quod antea peius esse iudicabat. Adeoque vult voluntate consequente, et differt haec tantum ab antecedente (§. 13). Sed tamen per torturam inquis, elicta est haec voluntas; adeoque per coactionem physicam externam? Concedo antecedens; nego consequentiam. Dum torturae subiicitur; sentit dolores, adeoque accipit cognitionem malorum: dum autem gradus torturae continuo augeri videt, etiam cruciatus continuo auctum iri iudicat, indeque determinatur ad volitionem. Ergo per excitatam cognitionem malorum exterorum inferendorum sibi, nisi confiteretur, determinatur ad volitionem. Cogitur ergo quidem ad volendum (§. 18): cogitur etiam externe, sed quia coactio sit per excitatam cognitionem malorum exterorum inferendorum sibi, nisi confiteretur, est coactio moralis externa strix sumta (§. 19); non autem physica (per op-pol.). Vides ergo, tenon attulisse exemplum coactionis physicae externae, sed tantum coactionis moralis externae, de qua non negavimus, quod in actibus elicitis voluntatis locum inuenire possit, quin potius idem ipsi demonstrauimus (§. 23. 24).

SCHOL. 2. Sufficientem puto eidem dedisse solutionem ad casum, qui instar instantiae adduci poterat. Si cui autem adhuc dubium superesset, eum rogo, velit ad membra sequentia respondere. Si Caius delictum confiteretur, tunc idem vel confiteri voluit vel non. Si non voluit, tunc exemplum non erit instantia contra propositionem §o. demonstratam. Si autem ponis, Caium etiam delictum confiteri voluisse; tunc vel habuit motiva ad volitionem, vel non. Posterior est absurdum (§. 12.): Ergo habuit motiva. Vel igitur per haec motiva ad volendum determinatus est, vel non. Posterior iterum absurdum (§. 10. Cor.). Ergo determinatus est per motius haec ad volendum. Vel igitur etiam per motius haec coactus est, ut velit, vel non. Posterior iterum absurdum (§. 18.). Ergo per motius coactus est. Vel igitur moraliter coactus est, vel non. Posterior iterum absurdum (§. 19.). Ergo Caius, licet per

per torturam ad volendum coactus fuerit, coactus tamen sal-  
tim est moraliter, non vero physice. Simili modo in omnibus  
reliquis casibus argumentari, omnesque instantias feliciter supe-  
rare poteris.

**§. XXVIII.**

Quoniam propositio §. 9. praec. demonstrata palmaria Quod aliis  
est, operae pretium erit, vt alias adhuc subiungamus modis adhuc  
demonstra-  
tiones. Accipe illas tur.

- 1) Volumus tantum ea, quae nobis placent, atque no-  
lumus tantum ea quae nobis displaceant (§. 9.). Qui  
vero physice ad aliquid agendum cogitur, cogi etiam  
potest ad illud agendum, quod illi displaceat, et ad il-  
lad non agendum, quod illi tamen placet (per exper.). Ergo voluntas quoad actus elicitos non poterit cogi  
physice.
- 2) Fieri non potest, vt sine motiuis aliquid velimus, vel  
nolimus (§. 12.): ergo actus voluntatis eliciti semper  
determinantur per cognitionem distinctam boni vel  
malii (§. 10.). Quatenus vero quis physice cogitur, ea-  
tenus non determinatur per cognitionem boni vel ma-  
lii ad agendum, sed per principium efficiens seu phy-  
sicum tantum (§. 18. 19.). Ergo et hac ex ratione ma-  
nifestum est, voluntatem quoad actus elicitos non  
posse physice cogi.
- 3) Actus eliciti voluntatis sunt volitio et nolitio (§. 15.):  
ergo appetitus et auersationes rationales (§. 6.). Appeti-  
tus et auersatio rationalis autem requirunt atten-  
tionem et reflexionem (§. 5.). Iam actiones, ad quas  
actuandas attentio vel reflexio requiritur, coactioni  
physicae subici nequeunt, neque internae, neque  
externae (§. 20. Cor. 2.): ergo actus eliciti voluntatis

E

neque

34 DE COACTIONE VOLVNTATIS.

neque coactioni physicae internae neque externae subiici possunt.

SCHOL. Si igitur, qui voluntatem plane cogi non posse contendunt, sub voluntate actus elicitos et sub coactione physicam coactionem tantum intelligent, tunc illorum sententia a veritate non est aliena. Sunt vtrique qui, dum voluntatem cogi posse plane negant, hunc sensum propositionis in mente habent, licet eundem verbis non indicent. Si hos errare putas, absque ratione sufficiente id fecisse videris non sine ratione sufficiente.

§. XXIX.

Materiale et  
formale actu-  
um imperato-  
rum volunta-  
tis quid?

§. 25. demonstrauimus. Quo autem iudicare possimus, vtrum etiam physice cogi possint, nec ne? distinguere debemus, quae in illis distinguenda sunt. Nimurum actus imperati mediate a voluntate dependent, et per alias facultates, a voluntate motis, producuntur (§. 16.) Possimus ergo illos considerare vel quatenus ab aliis facultatibus, a voluntate diuersis, producuntur, vel quatenus a voluntate dependent, seu quatenus facultates a quibus producuntur, a voluntate mouentur. Prius *materiale*; posterius *formale* horum actuum doctrinae gratia vocabimus. Hinc actus imperatos consideramus materialiter, si actum ipsum tanquam actum a facultate alia, quam voluntate, productum consideramus; formaliter autem seu qua talem, si quoad modum, quo a facultate alia producitur, consideramus, scilicet ita, ut facultas haec a voluntate mota sit.

SCHOL. Pone te audire, sonos instrumenti musici: Si auditus est actus imperatus, tunc a voluntate simul pender. Poteris igitur auditum horum sonorum considerare quatenus a voluntate tua pender, seu, quatenus illos audire voluisti, et tunc con-

## DE COACTIONE VOLVNTATIS.

35

consideras actum imperatum formaliter, seu quia talem; poteris etiam illum tantum considerare qua auditum sonorum instrumenti, abstrahendo ab eo, quod a voluntate tua pendaat, tuncque consideras illum actum materialiter.

### §. XXX.

*Voluntas quoad actus imperatos formaliter spectatos non Quoad actus potest cogi physice. Quatenus enim actus imperati formaliter spectantur, eatenus dependent a voluntate (§ 29.), et quidem ita, ut semper respondeant illis actus eliciti physice cogi voluntatis, a quibus dependent (§ 17.). Quam ob rem, quum actus eliciti voluntatis non possint cogi physice (§. 27. 28.); manifestum est voluntatem nec quoad actus imperatos formaliter spectatos physice cogi posse.*

COR. 1. Si igitur actus imperati physice coguntur, tunc desinunt esse actus imperati voluntatis (§. 17. Cor.): adeoque considerandi sunt tantum materialiter (§ 29.).

COR. 2. Immo ne quidem materialiter spectati omnes actus imperati physicae coactioni subiici possunt. Pertinent enim huc actus facultatis locomotivae, et in anima actus facultatis cognoscitiae tam superioris quam inferioris, et facultatis appetitiae inferioris (§ 16.). Quidam ex illis necessario a spontaneitate nostra, vel late vel stricte sumta, dependent, v. c. actus attentionis, reflexionis, meditationis, abstractionis, comparationis et divisionis idealium, iudicium, ratiocinatio, demonstratio, etc. quidam non necessario a spontaneitate dependent v. c. actus facultatis locomotivae, it sensations. Priores ne quidem quoad materiale externe physice extorqueri possunt (per demonstr. §. 20.); posteriores autem, materialiter spectari coactioni physicae subiici possunt.

SCHOL. Evidem non ignoro, me habere hic dissentientes. Plurimi enim in ea sunt persuasione, ac si voluntas tantum quoad actus elicitos non posset cogi, bene vero quoad actus

Nec quoad  
omnes mate-  
rialiter spe-  
ctatos.

E 2 impe-



36 DE COACTIONE VOLVNTATIS.

imperatos. (§. i.) Conferatur HOLLAZIVS Exam. Th. p. 616.  
MUSAEVIS in tr. de libertate philosophandi §. 13. MEISNERVS  
Anthropol. S. Disp. 21. Sed sufficit, nos a recepta sententia  
non sine ratione recessisse sufficiente, quod principia euoluta  
abunde monstrant. Si quis autem suspectam iudicaret proposi-  
tionem h̄o ultima demonstratam, propterea, quod noua esset,  
eum ut tam diu iudicium hoc cohibeat, valde rogamus, donec  
ad membra sequentia responcionem suppeditauerit: Si actus  
imperati formaliter s. qua tales considerantur, tunc vel illis re-  
spondent actus eliciti in voluntate, a quibus dependent, vel non.  
Posterior absurdum est (§ 29. 17.): ergo auctibus imperatis  
qua talibus semper in voluntate respondent actus eliciti, a qui-  
bus dependent. Hoc, si concedis, prouti concedere debes,  
concludo porro: Si actus imperati qua tales semper ab auctibus  
elicitis in voluntate dependent, tunc vel produci possunt sine  
auctibus elicitis praecedentibus, vel non. Prius absurdum est,  
quippe est contradic̄io in adiecio: ergo posterior adsumere de-  
bes; quod actus imperati qua tales non sine auctibus elicitis praae-  
cedentibus produci queant. Iam actus eliciti voluntatis vel  
adesse possunt, posita coactione physica, vel non. Prius ab-  
surdum est (§. 27.). Ergo posterior adsumere debes, quod  
actus eliciti voluntatis non possint cum coactione physica stare:  
ergo etiam concedere debes, quod actus imperati qua  
tales non possint physicae coactioni subiici;  
et sic habemus quod volumus.

T A N T V M.



PRAE-

PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
DOMINO  
RESPONDENTI SVO  
S. P. D.  
P R A E S E S.

**P**raemature cathedram conscendere forsan  
videris, carissime Breth, cum nondum  
annum in Academia supergresus es.  
Neque vero temeritate, a qua longissime ab-  
es, neque vana gloriae cupiditate, quam odio  
prosequeris, ductus, hoc consilium cepisti;  
sed, quum e re esse videretur, ut Fautoribus,  
quos numeras, studiorum tuorum rationem  
publico redderes specimine, me ipsum, inge-  
nue fateor, huius consilii habuisti suasorem.  
Quum enim Te non solum asfiduum atque lon-  
ge solertissimum habui et adhuc habeam Audi-  
torem, sed etiam, quia eadem tecum domo  
vteris, ex frequenti conuersatione animi Tui  
dotes, quas prouidentia plena manu in Te  
contulit, praestantisimas, perspicere atque

Scientiam Tuam, tam breui temporis spatio  
adquisitam, demirari mihi contigit; sane du-  
bitare nullus potui, quin cathedram conscen-  
dere possis magnaque cum laude Respondentis  
officio sis functurus. Nec spes, quam de Te  
conceperam, me fecellit, sed Tu ipse ean-  
dem superasti. Elegisti enim thema, quod  
sicut utilitate sua se commendat, ita ulterio-  
re disquisitione opus habebat. Quamuis au-  
tem tam a veteribus, quam recentioribus qui-  
busdam et recentissimis aliquo modo dissentire  
Tibi placuerit Philosophis; tantum tamen  
abest, ut sententiam Tuam defendi non posse  
crederem, ut potius, quia ex notionibus di-  
stincte evolutis per continuam ratiociniorum  
seriem deducta est, sufficienter a Te defensum  
iri confidam. Qua propter me magis audi-  
torem, quam adiutorem habebis. Gratulor  
Tibi ex animo egregios, quos iamiam fecisti,  
studiorum Tuorum profectus, Deumque com-  
precor benignissimum, ut nihil eorum deesse  
iubeat, quibus imposterum ornamento patriae  
Tuae esse, veramque parare queas felicita-  
tem. Vale, mihiique, quod facis, faue.  
Dabam in Fridericana d. 2. Aug. 1751.

PRAE-



PRAENOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
D O M I N O  
R E S P O N D E N T I  
S A L V T E M P L V R I M A M D I C I T  
I O H . G E O R G . R V T H S ,  
O P P O N E N S .

**Q**uae ego Tibi in Celebritatem academicam prodeuerii, ponentique Tyrocinii Rudimenta, Amicorum carissime, significem, et plura sunt, quam quae Epistola festinationis plena continere valeat, et ita maximam partem comparata, ut si, quod Res est, dicerem, in Suspicionem me, falso licet, popularium quorundam venturum esse praeuideam, me, licet in adulationem, ut nosti, minime compositum, Tibi hisce Literis mirifice lenocinatum fuisse. Accedit, quod per eximiam, qua Tu flores, Modestiam neutiquam mibi liceat, Virtutes illas, quibus prouida Numinis Cura tanto aliorum, qui ad easdem Tecum litterarum Amicum appulerent, Numero Te exemit, Laudibus persequi, quamuis hinc mihi eidem uerrina dicendorum enascetur Seges. Singula igitur, de quibus ut **I.** certior fias, magni mea interest, summatum exponam, eaque in uniuersum omnia eo potissimum redeant, ut Tu, quanti Amicitiam Tuam, ad quam me non ita pridem adgregau, faciam, intelligas. Hoc nimurum maioris eandem pendo, quo purior limpidiorque fons est, ex quo illa fluxit, quoque ampliorem

*fons*

spem concipere non dubito, nostram illam Coniunctionem nunquam perfractum dissolutumque iri. Quodsi preclara illa opinio, qua ab antiquissimis retro Seculis mortales ducti sunt, vera est, ut est, quod scilicet nonnisi Virtutis Studium amicitiam et gignat et continuet: ego sane Tuorum Elegantiam Animo lustrans, facere non possum, quin Vtus illius, qui mihi Tecum intercedit, perpetuitatem firma Animi Confessione augurer. Ad me quod attinet, ego quidem omni Studio cavebo, ne quid eorum, quae ad Necessitudinem, qua Tibi adiunctus sum, colendam conseruandamque faciunt, neglexissem, vel ab officiorum Amicis persoluendorum Religione declinasse videar, eoque maiori Diligentia id agam, ut partes meas expleam, quo pluribus Signis Tuam in me Voluntatem comprobauisti. Ex ipso nimirum hodierno Conflictu, ad cuius Societatem me arcessiusti, non sine viuido Laetitiae Sensu colligo, Te posthac quoque singularia Studia Tua in me collaturum, nibilque reliqui facturum esse, ut ad Amicitiam nostram multum indies accedat. Quod supereft, Deum ex intimitis Sensibus veneror atque obtestor, ut quae hacenus prospere procedere iussit Tua artium Studia, iisdem in posterum quoque sit praesentissimus, praeclareque coepitis ita adspiret, inde ut tam vniuersa Ecclesia, quam sigillatim ea, quae nostrum virique patria est, Vitalitatem percipiat maximam. Vale, atque Rem Tuam semper age praeclarissime, meique, si meruero, perpetuo memor. Dedi in Fridericiana d. 2. Augusli MDCCCL.



01 A 6710



Sb.

2160



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



d 5

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> PHIL<sup>O</sup>SOPH<sup>I</sup>CA,  
QVA INQVIRITVR  
AN, ET QVATENVS  
**VOLVNTAS HOMINIS  
POSSIT COGI?**

QVAM QVE  
CONSENSV INCLYTI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
PRAE SIDE  
VIRO PRAECLARISSIMO ET DOCTISSIMO  
**DN. CHRISTIANO WEBERO,**  
PHILOSOPHIAE MAGISTRO  
PRAECEPTORE SVO PIE COLENDO  
DIE AVGVSTI MDCCCLI  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI  
SVBMITTIT  
H. L. Q. C.  
RESPONSVRVS  
**CHRISTIANVS GODOFREDVS BRETH**  
SCHMIDEBERGENSIS - SILESIUS  
S. S. THEOLOG. AC PHILOS. CVLTOR.

---

HALAE MAGDEBURGICAE  
LITTERIS IOANNIS FRIDERICI GRVNERTI.